



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. IV. Ostentatio in Crvcis baiulatione vitanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT IV.

*Ostentatio in CRVCIS baiulatione
vitanda.*

Attendite ne iustitiam vestram facia-
tis coram hominibus, vt videamini
ab eis. *Matth. 6, 1.*

*Non quid agas, sed quò spectes, Deus undique
spectat,
Ferre tuam, vanum, vt sancta ferare, CRV-
CEM.*



ON illibenti animo hæc exci-
piebat Staurophila, iamq; me-
ditabatur in opus conferre;
cùm illud, quod, vulgò dici
solet,

*Dum vitant stulti vitia, in contraria cur- Horat.
runt,*

ei euenit planissimè. Intellexerat non tra-
hendam retrò CRVCEM, vt ignobile onus,
non formidandam CRVCIS ignominiam,
quæ gloriæ esset seminarium, proinde aliud
nihil quàm gloriam & honorem aucupaba-
tur. CRVCEM siquidem transuersim ante se
ferens, omnium se oculis visendam expone-
bat,

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram
hominibus, ut uideamini ab eis. *Math. 6.*



*Non quid agas, sed quò spectes, Deus undiq; spectat.
Ferre tuam, uanum, ut sancta ferere, CRUCEM.*

bat; hoc nomine magnam se rata, quòd iam CRVCIS Christi esset gerula. Ita infelix, quæ ostentui haberi metuebat, in probrosam incidit ostentationem.

Animaduertens id Christus, noui erroris eam commonefecit. Et quid hoc, inquit, filia? præcedens vitium æquali vel maiore vis corrigere? CRUCEM te tollere, non te extollere oportet. Et vide, quàm parum succedat hæc talis baiulatio: vbique enim impingis, atque ipsa CRUX tibi impedimento est, ne angustam regni cælestis ingrediare portam. Non legisti quâ ratione id S. Arsenio olim fuerit ostensum? Sedebat hic aliquando in cellâ suâ, & venit vox dicens ei: Veni ostendam tibi opera hominum. Et surgens exijt, & ecce vidit templum, & duos viros sedentes in equis, & portantes lignum transuersum, vnum contra vnum: volebant autem per ianuam intrare in templum, & non poterant, propter lignum illud quod in transuerso portabant: & non inclinantes se vnus post alium, vt fieret lignum illud directum, remanserunt foris extra ianuam templi. Et cum interrogasset quid hoc esset, ille respondit ei: Hi sunt, qui portant velut cum superbia iugum iustitiæ, & humiliati non sunt vt corrigant se, & ambulent humiliter in VIA CHRISTI; propter quod & remanent foris à regno Dei. Viden' vt hîc

Pelag. in
Vit. Pat.
lib. 5. li-
bell. 18.
num. 2.

tua depingatur insipientia, & quanto te delicti crimini exponas? CRVCEM ferre, & hoc profectum ad gloriam referre, vanum est, nullamque meretur mercedem.

Respondit Staurophila: Quòd hoc peccato, Domine, me geram, id eam gratiam feci, ut vel maxime declinarem errores illos, de quibus proximè monueras. Neque tantum mali in eo credebam, quòd aliquantam gloriam admitterem: occurrebat enim illud quod legeram,

Ouid. 5. — Non paruas animo dat gloria vires.

Trist. Eleg. & :

15.

— Immensum gloria calcar habet.

Hoc igitur stimulo me ad duram alioquin CRVCEM excitabam, nec inconueniens arbitrabar hoc qualicumque fomento difficultates, quæ ei insunt plurimæ, non nihil solari. Si gloria delectat, inquebat Christus æternam eamque solidam specta, temporalem hanc & inanem procul abijce. Ne vendas, quæso, labores tuos humanis laudibus, nec futili famam proijcias futuram gloriam. Lani enim humana in puluere domicilium habet, & gloria eius extinguitur super terram; veram autem & solidam virtutis gloria manet in seipsum. Quam peruersum est diligere gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Extremæ est, Staurophila, demeritæ, in rebus

S. Nilus

Orat. 7.

bus spiritualibus non nisi inanem spectare gloriam: hoc enim est & labore se affligere, & mercedem prodigere. *Seruus ad Domini oculos respicit, ad herum mercenarius, & ad preceptorem discipulus: tu contra omnino, remunerantem Deum Dominumque relinquens, ad conseruos respicis, etsi bene noueris Deum recte factorum tuorum in futurum quoque recordaturum, hominem uero tantum ad presens, & quidem utcumque. Et cum habeas theatrum in celo constitutum, spectatores tamen in terra tibi deligis & colligis. Athleta quidem ubi certat, ibi & probari cupit: tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari queris.* Numquam sane credidissem, inquebat Staurophila, tantum mali esse, gloriolam aliquam venari ex re non mala. Parum mihi, inquebat Christus, uersata uideris in schola pietatis: an non audiuisti quam serio monuerim: *Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem uestrum, qui in celis est? Nonne hoc nomine hypocritas damnaui, quod elemosynam facientes, tuba canerent ante se, & quod in Synagogis & angulis platearum stantes orarent, ut honorificarentur ab hominibus? hæc enim pietatis opera uolui fieri in abscondito, ut Pater cælestis, qui uidet in abscondito, reddat mercedem.*

Chrysof.
Hom. 17.
in Epist. ad
Rom.

Matth. 6, 1.

Ibid. 2.

Hæc quidem, inquit Staurophila, non raro audierim, memoriæ tamen non occurrebant, neque attentius illa hætenus eripendi. Et hoc scilicet est, inquit Christus, quod viuis sermo meus & efficax tantum paruum in vobis fructum faciat. Sed ut poro pergam, non malè quidam seruorū me-

Chrysof.

Hom. 17.

in Epist. ad

Rom.

Psal. 52, 6.

*Bernar. in

Apolog. ad

Guilielm.

Abbat.

rum dixit: *Mater gehennæ, est inanis gloria.* Nec est, ut multis hoc probetur, nam & Regius Vates olim cecinit: *Deus dissipavit eos, quoniam Deus spreuit eos. *Væ semel, & iterum portantibus CRUCEM meam, & non sequentibus me! quia nimirum, cuius passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conterentur, qui huiusmodi sunt, cum & hic pro temporali gloria se affligant, & in futuro pro internâ superbia ad aterna supplicia pertrahentur.*

Luc. 11, 34.

Sed, obsecro mi Domine, aiebat Staurophila, doce ancillam tuam, ut pestem hanc fugere queat. Cui Christus: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Oculus mentis, intentio est cordis, hæc si fuerit recta, totum actionum tuarum corpus rectum, pulchrum ac lucidum erit: sin distorta, nequam erunt quæcumque ex eâ processerint. Non tantum si bonum est quod facis, sed præcipue*

August. in

Psal. 118.

Conc. 11.

in medio,

puè si bonum est propter quod facis, cogitan-
dum. Auerti poscebat Psalmista oculos suos
ne viderent vanitatem, id est, ne hanc atten-
derent, & propter hanc fieret, cum bonum ali-
quid fieret. Deus enim non valde attendit

quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.
Quare quod Apostolus meus monuit: Siue
manducatis, siue bibitis, siue aliud quid faci-
tis, omnia in gloriam Dei facite.

Idipsum in
hac VIA CRVCIS tibi quàm maximè incul-
catum velim, vt scilicet intentio tua sit recta,
& ad Deum directa. De animalibus illis
Ezechieli olim ostensis, scribitur: Facies eo-
rum & penna eorum extenta erant desuper.

Quid autem per faciem, nisi intentio; quid
per pennas, nisi contemplationis volatus desi-
gnatur? Omne proinde bonum quod agitur per
intentionem, semper ad caelestia eleuetur.

* Quaelibet enim actio, quamuis bona videatur,
tamen quasi mortua iudicatur, si non per inten-
tionem bonam animetur. * Nihil igitur propo-
sito vanitatis, & inanis gloria capessenda gra-
tiâ facias, quæ autem bono initio cæperis, ob-
seruatione simili custodire nitaris.

Sed quomodo captanda humane laudis, aie-
bat Staurophila, vitium declinabo? Si tibi cer-
tò persuaseris, respondebat Christus, ubique
Deum adesse. Siquidem nemo est, qui cum in o-
culis Domini sit, cum illius dedecore conseruo

August. in
Psalm. 32.

1. Corintha.
10, 31.

Ezech. 1.
Gregor. l. 1.
in Ezech.
Homil. 1.

* Richard.
de S. Vict.
de Stat. int.
hom. c. 7.

* Cassian.
l. 11. Instit.
cap. 18.

Basil. in
Reg. Bre-
uio. qu. 34.

Chrysoft.
Hom. 5.
in Genes.

suo malit gratiosus esse, quàm Domino. Nō videt
in equorum ludis, quomodo hi qui equos agunt
non aduertunt plausū populi assidentis, nec vul-
uptatē ex eo plausu capiunt; sed in unū Regem
in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutū
illius attendentes, totam multitudinē despiciunt.
Hos & tu imiteris, nō magni faciēdo hominum
famam, sed sententiam iudicis iusti expectan-
do, atque ad nutum eius omnia dirigendo.

Breuiar
Roman.
14. Sept.

Quid verò ulterius faciendum? percon-
tabatur Staurophila. Hoc, inquiebat Chri-
stus, vt humili ac submisso animo, atque ab
omni insolentiā remoto, CRUCEM feras. He-
raclius Imperator auro & gemmis ornatus,
solēni celebritate suis humeris CRUCEM refer-
re volens in eum montem, quō ego eam olim
tuleram, insistere coactus est in portā. Quō enim
magis progredi conabatur, eō magis retineri vi-
debatur. Quā re cum & ipse Heraclius & reli-
qui omnes obstupescerent, Zacharias Ierosoly-
morum Antistes, Vide, inquit, Imperator, ne ista
triumphali ornatu, in CRUCE ferendā parum
Iesu Christi paupertatē & humilitatē imiteris.
Tunc Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, de-
tractisq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reli-
quum viæ facile confecit, & in eodem Caluaria
loco statuit. Hoc pacto CRUCEM ferri deside-
ro, vt gestu scilicet humili incedas, & quantum
fieri potest, hominum oculos cautē declines.

CA.